

proficiat in augmentum. Quatenus ipsis Servis Dei, qui ibi Deo famulari videntur, pro nobis et conjuge proleque nostra et stabilitate ipsius Imperii nostri à Deo nobis concessi atq; conservandi jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Prædictam verò Abbatiam illius, circumquaque per diversos pagos sitam, nemo fidelium nostrorum exinde aliquid abstrahere, aut prohibere præsumat; quin ei liceat per hanc nostram auctoritatem verbum prædicationis, Domino auxiliante, exercere et ministerium suum pleniter peragere. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat incon- vulsa manere, manu propria subscripsimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum 

Ludovici serenissimi Imperatoris.

*Durandus Diaconus ad Vicem Helisachar
recognovi et ss.*

*Data V Nonas Septembr. anni Imperii nostri VII. Indictione XIV.
Actum Aquisgrani Palatio regio in Dei nomine feliciter amen.*

*Brouverus
lib. 1. Antiq.
Fuld. c. 7.
Vita S. Wil-
lehadis c. 9.
Vita Ansg.
s. 11.*

Quam hîc Abbatiam Visbeck legis (sive ea ad Visurgim in diœcesi Mindensi, sive in Embslandia in Episcopatu Monasteriensi, ut verius reputes, alicubi fuerit) ea in tabulis Ludovici Germaniæ Regis Cellula vocatur, quæ ejusdem Regis donatione Corbeiensibus postea cessit. Ab alijs Abbatiola dicitur; quibus nominibus stationes, & missionum domicilia appellata: qualia loca Eresburgum & Meppia fuere, Corbeiensis Monasterio conjuncta. Cellæ præterea à Browero vocantur prædia & fundi Monachorum, in quibus Curatores Monachi versabantur, quæ postea in præposituras auctæ. Quem in modum Cella Justina Willehado Episcopo Bremensi donata in Francia à Carolo M. refertur. Hac providentia à Ludovico Imperatore data est Ansgario Cella Thurholtia in Gallijs, quò se recipere viri illi Apostolici à Barbaris ejecti. Et quæ hîc alia Saxlinga in his tabulis Episcopo Mimigarnefordensi asserita, quàm Linga ad Amesis amnem intra veterem Saxoniam, quæ in oppidum post ex-culta? ut vel inde antiqua sibi jura in Lingam Ecclesia D. Pauli vendicet.

Aquisgrano Ludovicus Theonisvillam concessit, ad celebrem Francorum conventum mense Octobri indictum, in quo Lothario filio Irmingardis, Hugonis Comitum filia, in matrimonium data: & qui conspirationis superioris vel rei, vel suspecti fuerant, in gratiam recepti. Tum & inter ceteros Adelhardus Gallicæ Corbejæ Abbas unà cum Bernario fratre ab exilio revocatus, redditusq; magna omnium gratulatione cœnobio suo, haud multò post novæ ad Visurgim Corbejæ conditor à nobis introducendus.

Pacatissima